VIR PRAENOBILISSIME,

AMPLISSIME,

Memini, cum iussu TVO TIBI indicem numorum, quos a regibus Ostrogothorum, Visigothorum, Vandalorum Longobardorumque cusos gaza Fridericiana servat, transmisissem, postulasse TE, vt ectypum numi vulgo haud obvii, et a Morellio quondam singulari, qua se in litteris ad Antonium Guntherum, herum quondam suum, iactitat, felicitate inventi ac thesauro tum Arnstadiensi illati, TIBI transmitterem. Ei desiderio nunc demum satisfacio, quod numulus ille, ab Harduino quoque in Operibus posthumis, sed haud paulo augustiori forma, quam est, exhibitus, se nescio quo fato conspectui meo subduxerat: TV, VIR ILLVSTRIS, moram hanc aegre non feres aliorum officiorum promtitudine compensandam. Sed patierisne TE exorari, vt sententiam exponas TVAM de quaestione iuris publici, quam separatae schedulae inscripsi, iussu et auctoritate cuiusdam ex proceribus nostris, qui et magni TE exquisitamque doctrinam TVAM facit, ita, quid de ea sentias, magnopere

scire avet. Videris TU, VIR AMPLISSIME, quid ardua, quibus distrin-
geris, negotia ferant; certe maximam abeo gratiam inibis, si vel bre-
vissimis, quid TIBI in his rebus longe versatissimo de hoc negotio vide-
atur, docueris. Pergratum fuit audire ante hebdomadas non ita multas,
doctissimum Fratrem TUUM Gottingam esse evocatum. Gratulaberis ei,
si grave non est, nomine meo, eumque hortaberis, ut cum uno alterove
collegarum, quales Gesnerus et Kohlerus, aliquando huc excurrat, et
cimelia nostra, quae nunquam, puto, spectavit, visat. Vale et locum
inter TUOS relinquere mihi, quem pridem teneo, ne unquam dedignare.
Dabam Gothae a. d. XVI. Kal. Febr. CIƆIƆCC XXXVI. Quatis TIBI
visus Bentleius noster, qui tam incommodo anni tempore Germaniam
nostram inuisit? Bonane id venia optimi senis, patris eius septuagesi-
mum quintum annum iam agentis, factum censes? An parentem ut
oris habitu et statura, ita eruditione aliquando reddet? Mihi pergra-
tum accidit, in filio non degenere me potuisse memoriam viri maxi-
mi, cuius summa erga me benevolentia quondam extitit, ad perbreve
quantumvis tempus recolere. Iterum vale.

PRAENOBILISSIMO
NOMINI TUO

addictissimus
Christ. Sigism. Liebe